



† R. P. Thomas A. Galvin (1864–1933)

(Prov. Baltimor.)

Provincia nostra multa perdidit in obitu R. P. Galvin, qui, quamvis per complures annos incommoda laboraret valetudine, tamen zelo animarum ductus operam suam apostolicam continuavit et veluti in ipso praeliorum campo cecidit.



Dilectus confrater in eadem urbe Buffalo, ubi d. 20 Sept. 1933 vita excessit, d. 10 Mart. 1864 natus erat. Optimis parentibus iam quinquennis orbatus, in Lackawanna, New York, Sororibus a S. Ioseph nuncupatis educandus traditus est. Ibi quodam die parrocho Nelson Baker, cui litanti ad altare servire solebat, manifestavit desiderium suum intimum sacerdotii. « Quomodo fiet istud », inquit ille, « cum linguae tuae haesitantia a contionando te impeditura sit? » « Hoc minime obest », puer respondit, « quia Beatissima Virgo me curare potest ». Revera postea P. Galvin in praedicando minime balbutiebat, quamquam in conversatione hoc defectu non plane immunis erat.

Cum esset 16 annorum, hortante R. D. Baker Ilchestriam scripsit, ubi tunc temporis Provinciae iuvenatus erat, et a P. Directore Ios. Schwarz, futuro Consultore et Procuratore Generali¹, admissus est. Verum post aliquot menses non in Ilchester se contulit, sed in North East, Pa., ubi Februario 1881 cum aliquot condiscipulis novum iuvenatum a P. Provinciali Elia Schauer fundatum inauguravit².

Studiis humanitatis in North East a. 1886 absolutis, tyrocinium suum Annapoli Magistro P. Petro Zimmer peregit, vota emittens d. 27 Aug. 1887, et superiora studia Ilchestriae. Die 7 Dec. 1892 Eñus Card. Gibbons eum sacerdotem ordinavit.

Quoniam P. Galvin sacerdotale munus multoties in surdo-mutorum commodum convertit, iuvat hic referre, quomodo hanc linguam (si tamen ita loqui fas est) primum didicerit. Olim in orphanotrophio, cum vivax puerulus denuo aliquod facinus innocens commisisset, in delicti expiationem a Sorore iussus est alphabetum mutorum certis digitorum signis

¹ Cfr. de eo *Analecta* VI (1927), 186-190.

² Cfr. *Analecta* X (1931), 286.

effectum addiscere. Quam peritiam postea magis magisque perficere studuit, velut in instituto quodam surdo-mutorum in urbe patria.

A. 1901 quaedam sordorum magistra Patri Galvin, tum communitati Brooklynensi adscripto, manifestavit consilium adsciscendi aliquem missionarium, cuius sermones ipsa, coram pueris stans, illico in signa convertere volebat. Post brevem deliberationem P. Galvin dixit: « Forsitan ego solus talem missionem tradere possim », et revera sic fecit. Hanc primam missionem aliae multae secutae sunt, ac primum quidem in institutis et collegiis, postea etiam in ecclesiis publicis.

Primam talem missionem publicam P. Galvin in eadem urbe Brooklyn, in ecclesia S. Ioseph, 15–21 Iun. 1908 signis tradidit; surdo-muti 160 interfuere, 214 vero missioni anno insequenti in nostra Neo-Eboracensi ecclesia S. Alfonsi habitae. Post missionem eodem anno in Scranton, Pa., in ecclesia cathedrali gestibus traditam quidam, qui iter 65 milliarium fecerat, ita scripsit: « Nunquam antea sacerdotem missionarium inveneram. De religione catholica in missione percepi multa ac pretiosa mihi antea incognita, et nunquam in vita maiorem beatitudinem degustavi ». Alius quidam quaesivit ex missionario: « Licetne, Pater Reverende, desiderare, ut tu quoque sis surdo-mutus, quo diutius nobiscum esse nosque instruere valeas? »

In Iesuitarum ecclesia Baltimorensi S. Ignatio sacra confrater noster haud pauciores quam sex missiones decurrentibus annis peregit, et loci Archipraesul Eñus Card. Gibbons, qui quidem hunc apostolatam magni faciebat, quondam permisit se per photographum depingi sedentem inter P. Purtell S. I. et P. Galvin C. SS. R.

Filii S. Ignatii, qui Neo-Eboraci paroeciam S. Francisci Xav. administrant, a. 1920 Patrem Galvin invitarunt ad habendam solis signis missionem vere memorabilem; in ea namque 900 surdo-muti peccata sua confessi sunt, et in fine auditorium usque ad mille ascendit. Iesuitae senes, visis his infelicibus tanta attentione et aviditate ad missionarium conversis, dixerunt se nunquam antea tam probe intellexisse, quid sit illud: *esurire verbum Dei*. In fine missionario oblatus est scyphus argenteus, cui haec verba inscripta erant: *Presented to Rev. Thomas A. Galvin by the Xavier Ephpheta Society, New York, in recognition of his devoted service of twenty-five years in behalf of the Catholic Deaf-mutes of the United States 1895-1920*. Missio a confratre defuncto a. 1910 Pittsburgi tradita effecit, ut ibi peculiaris schola catholica pro parvulis auditu et loquela orbatis institueretur.

A. 1925 P. Galvin ob infirmam valetudinem dilecto apostolatui surdo-mutorum renuntiare coactus est, quamquam sacerdotale ministerium pro viribus exercitare pergebat. Immo novum laborem suscepit mense Febr. 1932 pro Nigritis in Lackawanna habitantibus; parochus enim Msgr. Baker,

cum aetate sua 90 annorum prohiberetur, ne Nigritis multum sese devovere posset, amici et pristini pupilli auxilium rogavit, et exinde fere cotidie P. Galvin horam integram instruendis his pauperibus dicabat. Labor difficillimus (multorum enim Nigritarum mens quoad religionem erat *tabula rasa*) fructus egregios protulit, quandoquidem in anni exitu 340 ad veram Ecclesiam conversi sunt, inter quos 12 familiae integrae, et insuper duo Mohammedani Indiani e Calcutta.

Ultimam vero operam P. Galvin dilectis suis surdo-mutis impendit, Dominica 26 Aug. 1933 pro ipsis in Olcott, Niagara County, Missam celebrans. Buffalum redux se viribus exhaustum sensit et fer. III, cum medicus ob cordis debilitatem vitae periculum enuntiasset, ultima sacramenta insigni pietate, tota communitate praesente, recepit et Redemptoristae vota renovavit. Translatus ad nosocomium vicinum, ibi nova dedit exempla patientiae et fervidae orationis, atque media nocte 20 Sept. 1933 ad aeterna praemia recipienda vocatus est.

Funeri amplius 100 sacerdotes interfuerunt, inter quos etiam Msgr. Baker supra laudatus, aliique plurimi. Inter hos multos quoque Nigritas videre erat, quorum centeni iam antea accurrerant, ut ad corpus mortuum amici sui et apostoli preces funderent, dantes haud dubia doloris signa.

Exceptis quinquennio 1894-1899, quo Bostonii in magna nostra paroecia occupabatur, et triennio 1912-1915, quo Brooklyn Rector fuit, P. Galvin totam suam vitam impendit missionibus et exercitiis per regiones orientales Confoederationis habendis. Semper et ubique sese monstravit confratrem amantem, virum orationis, sacerdotem zelo animarum, praesertim magis derelictarum, imbutum, et Episcopis, presbyteris populoque hic dignus S. Alfonsi filius carus erat. R. I. P.
